

3059

C O D I C E S

3060

Anno domini M^o. CCCC^o. XXX. III. finitus est iste libellus XII. die mensis Januarij. Per Symonem presbiterum de Glatbouia tunc exulem in Patauia. Atqui hoc tempore aut Hermannus O. P. Ep. Prifnensis, aut Petrus II. O. M. Ep. Marchopolensis Suffraganeus Patauiensis fuit, cujus proinde nomen erasum, substituto Andrea. Simon porro, utut turbis Hussiticis extorris, laborem tamen suum Patriae suae destinasse videtur; nam *Litaniis* OO. SS. nomina Indigetum *Bobemiae Viti*, *Wenceslai*, *Adalberti*, *Procopii* curate inferuit.

Anteriori Codicis Thecae verba quaedam intus characteribus grandibus Cyrillicis, Glagoliticisque mixtis adscripta sunt, e quibus tamen ob aliquot formas peregrinas interjectas nihil extundas.

DCCCXLIII.

⁴⁶⁷ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 24. 4. in fine mancus continet *Emendationes* variorum *Hymnorum*, item *Sequentiarum*, *Responsoriorum*, *Orationum* Officii Ecclesiastici. Autor earum cordatissimus noster *Jacobus Wimpbelingius*, ut partim ex ipso fragmento nostro, in quo *Isidoneum* suum citat, partim ex Editione *Argent.* 1513. 4. constat. Nobis initium est: *Loci deprauati in Hymnis. Corde natus. In Hymno corde natus, in secundo Versu legendum est: O beatus ortus, et non partus, quia tres debent esse trochei &c.* Finis vero: *Sunt etiam*

qui libros deprauant: et nefas abradunt — —. Dolendum, neminem ante nos ad Autoris nostri Scripta colligenda animum adpulisse, quod, ut post Cl. *Jos. Ant. Rieggeri Amoenitates literar. Friburgenses* multo foret expeditius, ita aevo hoc nostro futurum vix sperem.

DCCCXLIV.

Codex membraneus lat. incertum quando, non tamen ante Sec. XII. ut videtur, scriptus, Folior. nunc 89. 8. tam singularem characterum formam exhibet, ut *Lambecius* ὁ μακρογίτης olim ratus *aethiopicos*, seu *copticos* esse, fragmentum inde depromptum ad *Jobum Ludolphum* hujus literaturae tum fama florentem consilii capiendi causa miserit. Narrant rem non sine lapsibus *Wilb. Tenzelius* in *Colloquiis mensr.* vernac. ad an. 1691. p. 248. et *Baudelot. Dairvalius de Utilit. Itinerum gallic.* edit. prior. T. II. p. 434. posterior. p. 84. *Ludolphus* examine instituto characteres quidem prorsus exoticos, sermonem tamen latinum et quidem *Evangeliorum* πειρικονας iis inclusas deprehendit. Concinnavit igitur Clavim alphabeticam, eamque unacum Fragmento ad *Lambecium* remisit. Fragmentum istud 2. foliis constans, quorum excisorum vestigia in Codice inter foll. 84. et 85. etiamnum manifesta sunt, deinceps una cum Clavi, nescio, quo facto, deperiit. Quod damnum Cl. *Kollarius* eatenus refarsit, ut et

nov-

novum Alphabetum conderet, et loca *Codicis* non pauca nostris literis rescriberet, quae in ejus Adversariis reperta, ut sua cuivis merito laus sit, gratus hic prodo. Est vero *Codex* iste nihil aliud, quam *Lectionarius*, qualem v. g. habes in *Pamelii Rituali SS. PP. Lat. T. II.* et aliis. Init autem literis miniatis: *In die sancto pasche secundum Marcum. In illo tempore. Maria Magdalena. et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Ihesum &c. usque ad verba C. 16. v. 8. sicut dixit vobis. Atque ita ordine temporis progreditur usque ad fol. 85. ubi ultimum p. 1. Evangelium: in assumptione sancte Marie secundum Lucam. In illo*

tempore intravit Ihesus in quoddam Castellum &c. usque ad verba C. 10. v. ult. que non auferetur ab ea. His continuo subjunguntur alia manu, sed iisdem characteribus, minoribus tamen et atramento saturatiore Adnotationes quaedam supersticiosae, medicae ferme partim Francico, partim Latino, quarum initium: Totes fevres garir — — a premieres de — — — si croit en ces choses bis ter dites en l am — — — et de nostre dame et des sans et de sa — — — ave — — — ter — — — in nomine patris et f. et f. f. &c. Foliis demum 2. ultimis Excerpta leguntur ex Antiphonario, quorum istud Specimen:

*Ramus florens et omustus. Rubus ardens non combustus
Matrem signat Virginem.*

*Que intasta concepisti. Virgo manens peperisti
Deum atque hominem &c.*

Ad calcem porro *Codicis* literis latinis, manu Sec. XIV. ut videtur, adjectum est: *Liber sancte marie de vilari in brabantia. Est vero Coenobium Villariense in Praefectura Genapiensi situm prima Cisterciensis Familiae in Belgio Colonia ab ipso D. Bernardo Clara-valle an. 1146. aut 47. missa, cujus Historiam texit Ant. Sanderus Chorogr. sacrae Brabant. T. I. p. 417. atque hinc pace Baudelotii, qui ob horridulos characteres patriam Libelli Germaniam*

innuit, eum in Franciam aut Belgium remitemus, iis etiam fulti, quae superius Francica ex eo adtulimus. Cur vero in re tam publici et expositi usus, ut sunt Lectionaria, Librarius literis arcanis uti voluerit, difficile dictu est. Specimina ad eas accedentia apud complures Steganographiae, Cryptographiaeque Tractatores frustra indagavimus, quo successu etiam Novum de Diplomatica Tractatum gall. et Cl. Astle Originem et Progr. Scripturae anglic. evolvimus.

3063

C O D I C E S

3064

mus. Interim eas non unius otiosi capitis inventum, sed pluribus ita notas fuisse, ut eas currente calamo exararent, diversa *Codicis*

manus probat. Visum itaque fuit duplex earum *Alphabetum* aeri incisum hic Lectorum oculis obijcere.



DCCCXLV.

948 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 219. in f. caractere, quem *missalem* vocant, aterrimo pulcre exaratus hoc Rubro est: *Incipit ordo Euangeliorum per circulum totius anni secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae.* Lektionaria ejusmodi sub initia Typographiae variis linguis passim imprimebantur, et reapse ad primum hujus *Codicis* intuitum haerere possit aliquis, impressumque credere, nisi curatius examen, et maxime lineae ab Scriptoribus duci solitae, quae utique ab impressis absunt, contrarium docerent. Interim tamen litera I. a qua plurima incipiunt Evangelia (*In illo tempore*) multis locis omissa, quibusdam penicillo adpieta, plurimis tamen Sigillo florulento chal-

cographico triplicis quidem formae impressa est, unde de *Codicis* aetate statui potest. Continet ille *Evangelia* primum, ut dici amant, *de Tempore*, initio sumto a *Dominica I. Adventus*, dein de *Festis propriis Sanctorum*, demum de eorum *Communi*. Folia quatuor, puta *Frons Codicis*, *Evangelia* item de *Nativitate* et *Paschate Domini* picturas praeferunt non admodum laudabiles. Librum inter *κειμηλια* quondam *Austriaci* cujusdam Principis fuisse, suadet *Theca*, anterior quidem Sigillis quinque argenteis deauratis *Agnum paschalem* cum IV. *Evangelistis*, posterior totidem Insigne *Austriacum* cum *Scutis Provinciae Austriacae sup. Styriae, Carinthiae et Carnioliae* affabre factis referens.

DCCCXLVI.